

* euripis

vi conantur extrahere. Antea domitandi gratia greges equitatu cogebant in conuallem manu factam, & longo tractu fallacem: cuius inclusos * ripsis fossisq; fame domabant. Argumentum erat ramus, homine porrigente clemeter acceptus. Nunc dentium causa, pedes eorum iaculantur alioquin mollissimos. Troglodytae contermini Aethiopiae, qui hoc solo venatu aluntur, arbores propinquas itineri eorum conscendunt. Inde totius agminis nouissimum speculati, extremas in clunes desiliunt. Laeva apprehenditur cauda, pedes stipantur in sinistro femine. Ita pedens alterum poplite dextra caedit: ac praecuta bipenni hoc crure tardato profugiens, alterius poplitis nervos ferit, cuncta praeceleri pernicitate perages. Alij tutiore genere, sed magis fallaci, intentos ingentes arcus defigunt humi longius. Hos praecipui viribus iuvenes continent, alij commixti pari conatu tendunt, ac praeteritibus sagittarum venabula infigunt, mox sanguinis vestigijs sequuntur. Elephantorum generis femina multo pauidiores.

Quomodo domentur.

CAP. IX.

Domentur autem rabidi fame & verberibus, Elephantis alijs admotis, qui tumultuantem catenis coerceant: & alias circa coitus maxime effertur, & stabula Indorum dentibus sternunt. Quapropter arcet eos coitu, feminarumq; pecuaria separant, quae haud alio modo quam armentorum habent. Domiti militat, & turres armatorum in hostes ferunt, magnaq; ex parte orientis bella conficiunt. Prosternunt acies, proterunt armatos. Iidem minimo suis stridore terrentur, vulneratq; & territi retro semper cedunt, haud minore partium suarum pernicie. Indicium Afri pauet, nec cotueri audet: nam & maior Indicis magnitudo est.

De partu eorum & reliqua natura.

CAP. X.

Decem annis gestare in utero vulgus existimat: Aristoteles biennio, nec amplius quam semel gignere, pluresue quam singulos: viuere ducentis annis, & quosdam trecetis. Iuuenta eorum a sexagesimo incipit. Gaudent annibus maxime, & circa fluuios vagantur, cum alioquin nare propter magnitudinem corporis non possint. Iidem frigoris impatientes. Maximum hoc malum, inflationemq; & profluuium alui, nec alia morborum genera sentiunt. Olei potu tela, quae corpori eorum inhaereant, decidere inuenio: a sudore autem facilius adhaerescere. Et terram edisse ijs tabificum est, nisi saepius mandant. Deorant autem & lapides. Truncos quidem gratissimo in cibatu habent. Palmas excelsiores fronte prosternunt, ac ita iacentium absumunt fructum. Mandunt ore: spirant & bibunt, odoranturq; haud improprie appellata manu. Animalium maxime odere murum: & si pabulum in praesepio positum attingi ab eo videre, fastidiunt. Cruciatum in potu maximum sentiunt hausta hirudine, quam sanguisuga vulgo coepisse appellari aduerto. Haec ubi in ipso animae canali se fixit, intolerando afficit dolore. Durissimum dorso tergus, ventri molle, setarum nullum tegumentum, ne in cauda quidem praesidium abigendo tadio muscarum

(namq; id & tanta vastitas sentit) sed cancellata cutis, & inuitans id genus animalium odore. Ergo cum extenti recepere examina, arctatis in rugas repete cancellis, comprehensas enecant: Hoc ijs pro cauda, iuba, villo est. Dentibus ingens pretium, & deorum simulacris laudatissima ex ijs materia. Inuenit luxuria commendationem & aliam, * expetit in callo manus vim saporis, haud alia de causa credo quam quia ipsum ebur sibi mandere videtur. Magnitudo dentium videtur quidem in templis praecipua. Sed tamen in extremis Africae, qua confinis Aethiopiae est, postium vicem in domicilijs praebere: saepesq; in ijs et pecorum stabulis pro palis elephantorum dentibus fieri, Polybius tradit, autore Gulussa regulo.

* expetiti in callo manus saporis

Vbi nascantur, & de discordia eorum & draconum.

CAP. XI.

Elephantes fert Africa ultra Syrticas solitudines, & in Mauritania: ferunt Aethiopes & Troglodytae, ut dictum est, sed maximos India, bellantesq; cum ijs perpetua discordia dracones, tanta * magnitudinis, ut & ipsos circumflexu facili ambient, ne xunque nodi praestringant. Commoritur ea dimicatio: victusq; corruens, complexum elidit pondere.

* magnitudinis & ipsos, ut circumplexu facili ambient

De solertia animalium.

CAP. XII.

Mira animalium pro se cuiq; solertia est, ut ijs vna scandendi in tantam altitudinem difficultas. Draco itaq; iter ad pabula speculatus, ab excelsa se arbore inicit. Scit ille impari sibi luctatum contra nexus itaq; arborum aut rupium attritum querit. Cauent hoc dracones, ob idq; gressus primum alligant cauda. Resoluunt illi nodos manu. At hi in ipsa nare caput condunt, pariterq; spiritum praeccludunt, & molliissimas lancinant partes. Iidem obuij deprahensi, in aduersos erigunt se, oculosq; maxime petunt. Ita fit ut plerumq; caeci ac fame & mæroris tabe confecti reperiantur. Quam quis aliam tantam discordiae causam attulerit, nisi naturam spectaculum, sibi paria componentis? Est & alia dimicationis huius fama. Elephatis frigidissimum esse sanguinem, ob id estu torrente praecipue a draconibus expeti. Quam abrem in amnes merfos insidiari bibentibus: arctatisq; illigata manu in aure morsum defigere: quonia is tantum locus defendi non possit manu. Dracones esse tatos, ut totum sanguinem capiant. Itaq; elephantos ab ijs ebibi, siccatosq; concidere: & dracones inebriatos opprimi, commoriq;.

De draconibus.

CAP. XIII.

Generat eos Aethiopia Indicis pares, vicenem cubitorum. Id modo mirum, vnde cristatos Iuba credit. Asachai vocantur Aethiopes, apud quos maxime nascuntur. Narratur in maritimis eorum quaternos quinosq; iter se cratiu modo implexos, erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabia uehi fluctibus.

De serpētibus maximis & bois.

CAP. XIII.

Megasthenes scribit in India serpentes tantam magnitudinem adolecere, ut solidos hauriant ceruos taurosq;. Metrodorus, circa Rhyndacum amnem